

AB
59446



~~Sammlung
z. Anwesen-
heit
1811~~

No 4039 *

FSS



DISPUTATIO

8

DE PHILOSOPHIA EIVSQVE INSTRUMENTIS, PROPOSITA
IN ILLUSTRI ACADEMIA
IVLIA

à

M. DVNCANO LIDDELIO Mathematicum Professore:

quam publicè defendet
CORNELIVS MARTINVS Antuerpius.

Erit disputatio die 24. Ianuarij.



HELMÆSTADII.
Ex officina typographica Iacobi Lucij.
Anno clō. lō. xcii.

8

Thesis I.



Vm vniuersa humanæ vitæ perfectio in mente sita sit, ad cuius imperium corporis animæq; inferiorum facultatum seruitio vtitur, brutalibus corporeisq; affectibus mancipari non debet, sed illius sui dominij cura habita, à brutali sorte ad diuina quam proximè aspirare, ac, vitiosis affectibus depositis, in veri cognitione, boniq; adeptione acquiescere.

2. Verum cum mens ipsa, nisi aliunde adhuc suum scopum dirigatur, adeo cæca sit, vt ad veritatem verique boni consecutionem, non aliter quam vespertilionum oculi ad solem se habeat, præter oracula diuinitus patefacta, humana quædam remedia, disciplinæ nimirum, instinctu lucis naturæ, à summis omnium ætatum viris, partim necessitate, partim cognoscendi studio, rerumq; iucunda admiratione, inuentæ & perpolitæ sunt.

3. Quibus autem animus informatur, quatuor perfectionum habitus sunt; vnus instrumentalis, cæteris cognitionis instrumenta & viam præscribens; alius in *ποινή*, siue effectione consistens, qui corporis necessitatibus destinatur; Tertius in *πράξι* occupatus, appetitum ad verum bonum flectit; Quartus in contemplatione siue nuda veritatis cognitione, quæ intellectus absolutissima perfectio est, acquiescit.

4. Disciplinas autem contemplatiuas veteres post Pythagoram sub nomine Philosophiæ complexi sunt, quibus Socrates primùm & Plato practicas quoq; adiecerunt. Verum Stoici sub vocis amplitudine instrumentales, & quidem effectrices disciplinas quoq; comprehenderunt.

5. Cum vero animi nostri medicina Philosophia sit, cuius adminiculo duæ præcipuæ facultates animæ proximè perficiuntur, disciplinæ, quæ in *πράξι* & *θεωρίᾳ* consistunt, Philosophiæ propriæ erunt. Nam quæ in effectione sunt occupatæ,

cupatæ, à practicis diriguntur, & ijs inferuiunt: instrumentales vero media & normas tantum alijs disciplinis vsu quodam communes, & modos cognoscendi præscribunt.

6. Quare Philosophia, hoc modo sumta, nihil aliud erit, quam doctrina ductu lucis naturæ ad animi functiones, proximè perficiendas, inuenta, vnde ea cognoscimus, quæ DEVS in hoc vniuerso vel contemplanda, vel ad vitam rectè instituendam agenda, nobis proposuit.

7. Duæ autem illæ facultates quæ perfectionem desiderant, sunt τὸ γνωστικὸν ἢ τὸ ὀρεκτικὸν & quæ eas proxime perficiunt duæ quoq; Philosophiæ partes.

8. Quarum quæ intellectum perficit, quia in θεωρία id est nuda veritatis cognitione consistit, θεωρητικὴ dicitur; sed, quæ appetitum regit, quia veri boni consecutione expletur, siue in πράξις acquiescit, πρακτικὴ nominatur.

9. Vtriusq; adminiculo sua peculiari perfectione siue felicitate homo absoluitur. Nam prudentiæ ductu practica hæc Philosophia vt ad alios est, hominem sociali bono, siue practica felicitate informat: sed illa theoretica altius assurgit & qua diuinam & immortalium sortem proximè accedit, in se iucunda veritatis contemplatione siue sapiētia quadã humana quæ felicitas est contēplatiua hominē perficit.

10. Nam Theoretica Philosophia intellectum rerum cognitione imbuit, & causas cuiq; assignare, ac in veritate cognita acquiescere docet.

11. Hæc pro triplici differentia eorum quæ cognoscuntur, & modo cognoscendi, in tres præcipuas & primas partes diuiditur.

12. Nam vna est, quæ ὄντα ἢ ὄντα, siue ἀπλῶς ὄντα, eorumq; proprietates, siue separatas ab omni materia & conditionibus eius, nudas species cognitionisq; nostræ prima principia contemplatur. Quæ quia circa diuinas substantias occupata est, Theologia humana, & quia Physicâ sublimior est,

Metaphysica, & quod cæteras Philosophiæ partes munit, & velut magistra contineat, prima Philosophia nominatur.

13. Considerat enim hæc non modo incorporeas, omni materia expertes, substantias, sed & prima principia, causas & fundamenta inferiorum disciplinarum: Vnde communissimarum rerum, principiorum & causarum simplicium & primarum scientiam sibi vendicat.

14. Altera circa naturales siue corporeas substantias, earumq; affectiones & proprietates occupata, formas cum materia concretas, quæ, quia sine applicatione materiæ & subiecti non intelliguntur, *ἐκ προορέσεως ὄντων* dicuntur, considerat, nimirum Physica.

15. Modo considerationis Physicæ & Metaphysicæ tertia Theoreticæ Philosophiæ pars, Mathematica interiecta est, quæ neq; ea quæ *ἀπλῶς* subsistunt, neq; ea quæ *ἐκ προορέσεως* subiecti intelliguntur, considerat, sed abstractas à substantia naturali species, quæ sine illa substantia reuera nõ subsistunt, seorsim contemplatur: vnde *ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντων* vocantur.

16. Occupata enim est Mathesis in quantitate, quantitatisq; speciebus & affectionibus, quas, vt per se ab alienis intelligantur, à materia & conditionibus eius, mens cogitatione abstrahit.

17. Quia vero duplex est omnis quantitas, & quæ eas per se contemplantur, duæ erunt puræ & propriissimæ Mathematicos partes: Vna quæ discretæ quantitatis, numeri scilicet numerantis, species, & cunctas affectiones considerat, Arithmetica; altera quæ quantitatis continuæ, magnitudinis nimirum, sub quacunq; figura & proportione differentias & proprietates contemplatur, Geometria.

18. Præter has nonnullæ sunt mixtæ ex Physicis & Mathematicis disciplinæ, quæ subiecto Physico illas Geometriæ
vel

vel Arithmeticae rationes accommodant. Hæ pro subiecto-
rum diuersitate variantur.

19. Nam quæ Arithmeticae rationes differentijs sonorū
accommodant, Musica: quæ rebus sensibilib. numerandis,
Logistica: quæ radicib. quadratis cubis & similibus, Alge-
bra nominatur. Similiter quæ caelestium motibus & distan-
tijs Geometriae rationes accommodant, Astronomia: quæ
oculorum radijs, vmbrijs, & rerum distantijs Optica: quæ o-
peribus & structuris, Mechanica: quæ dimensionibus rerum
sensibilium, Geodesia nominatur.

20. Practica Philosophia, quæ à nonnullis Ethica gene-
ralis dicitur, quomodo in rebus agendis homo munus suum
exequatur, & enormis appetitus sit regendus, vt rectæ ra-
tionis præscripto obsequatur, viam monstrat.

21. Quoniam vero homo, quo hoc bonum, in agendo
positum, mutuis officijs consequatur, in societate vt viuat
necesse habet, quæ eius, qua sociale animal, perfectio sit,
inquiramus.

22. In societate dupliciter homo spectatur, vno modo ab-
solutè, ad omnes homines cõparatus, qua illis virtutib⁹ hu-
manis, vnde vir bonus dicitur, absoluitur: alio, quatenus ali-
cuius societatis membrum est, & ea tantum virtute, quam
eius societatis *ἀντιμενδία* postulat, perfici intelligitur. Quæ
vicissim duplex est; vel Respublica, vel familia. Illa varia est,
cui, licet hæc subiecta sit, aliud tamen & nobilius Reipubli-
cæ quam familiae bonum propositum est.

23. Proinde practicae Philosophiae tres erunt partes: Vna
Ethica, propriè dicta, quæ absolutam morum perfectionem,
qua vita beata, in actionibus posita, continetur, proponit,
& vitæ practicae fundamenta iacit.

24. Altera Politica est, quæ Reipublicæ conseruandæ &
constituendæ rationem præscribit, & triplici prudentia seu
partibus absoluitur: vna in legibus ferendis, quæ *νομοθετική*
altera

altera in deliberando & consultando, *βουλευτική*: postrema in iudicando secundum præscriptum legum, *δικαστική*.

25. Infima Practicæ Philosophiæ pars est Oeconomica, quæ familiam administrandi & conseruandi viam proponit.

26. Quare ista disciplinarum Philosophicarum summa capita erunt, quibus vel contemplando vel appetendo, animus humanus absoluitur, quibus disciplinæ effectrices non aliter famulantur, quam corpus cuius vsibus destinantur, ipsi animo inseruit.

27. Verum quæ simul ad corporis conseruationem & mentis aliquam perfectionem referuntur, nobiliores sunt: Quæ verò vel commodis, vel corporis voluptatibus destinantur, fordidæ & illiberales habendæ sunt.

28. Vt autem ad hos suos scopos animus humanus legitimè & debitè procedat, normis siue habitibus quibusdam instrumentalibus, quas disciplinas logicas nonnulli vocant, indiget; quorum adminiculo ad actionem cognitionemq; aditus & via menti præparatur, cuius generis tres Grammaticam, Logicam, propriè dictam, & Rhetoricam numeramus.

29. Nam cum mentis symbolum, intellectus & voluntatis nostræ interpretis, oratio sit, vt aptum & idoneum vtriusq; & apud alios & nobiscum sit instrumentum, Grammatica inseruit.

30. Verum cognitionis nostræ regula & intellectus instrumentum Logica est, qua in rebus cognoscendis scientijsq; intelligendis ad veritatem velut amussi, dirigatur, modum tantum cognoscendi & non ipsam rerum cognitionem præscribens.

31. Non enim logicæ vllius entis naturæ propria cognitio aut aliquod primum *νόημα* subicitur, sed habitus communis est, normas tantum cognoscendi, rerumq; secundas notiones, quæ vsu tantum primis rerum notionibus cognoscendis

scendis accommodantur, considerans, quo nomine à Me-
taphysica, quæ communissimarum simplicissimarumq; pri-
marum notionum, quibus cæteræ scientiæ communicant,
disciplina est, discernitur.

32. Logicæ velut adnata sed ἀντίσποσθη est Rhetorica, à
qua fine & officio siue tractandi modo discernitur.
Nam in rebus agendis instrumentum Rhetorica est, cuius
facultate quæ in benè dicendo consistit, ad aliquid suscipi-
endum vel omittendum voluntates hominum impelluntur.

33. Hæ igitur sunt disciplinæ habitus animi humani, qui-
bus in hac imbecillitate homo perficitur, & vitæ vsibus suc-
curritur, ijs cui &c. nulla ex parte instructus est animus,
quouis bruto deterior est. Nam aliquem, causa mentis,
habitum addiscere oportet, qui cum bonus non sit, malus
sine dubio erit.

Coronides. I.

Qui communitatem Metaphysicam, quæ com-
munissimarum primarum notionum est, & Lo-
gicam quæ secundarum tantum est, confundunt, &
communes rerum Physicarum proprietates omni-
bus entibus & non entibus tribuunt, leges illas suas
sacras constituendarum artium miserè violant.

II. Qui Metaphysicam, magistram veritatis,
tollit, nullum quo discipline contineantur & munian-
tur vinculum relinquit.

III. Qui substantias diuinas & incorporeas Phy-
sicae considerationis esse putant, quid quous sit aut ne-
sciunt, aut scire nolunt. Subla-

IV, Sublatis Hypothesibus, quibus saluantur & explicantur motus cœlestes, nulla poterit esse Astro- nomia, ut Petrus Ramus voluit.

V. Qui duo illa in propositionibus & argumen- tationibus omnis certitudinis fundamenta, contradi- centium altera pars vera altera pars falsa, & dici de omni & de nullo, vel tollunt, vel obscurant, non tantum Logicam conuellunt, sed & lucis naturæ cer- titudinem in dubium vocant.

VI. Usus non est doctrinæ magister, sed incertus usus certis doctrinæ normis castigandus est.

VII. λογικώτερος non fuit Cicero in Oratione, Vir- gilius in poemate, quàm Aristoteles in organo.

VIII. Una non est omnium artium tradenda- rum & constituendarum methodus.

IX. Scientiæ nomen non meretur, quod sine de- monstrationibus & causis proponitur.

X. Omnia præcepta disciplinarum & πάντες καὶ αὐτὰ, καὶ ὅλα πρῶτα esse debere, neq; verum aut possibi- le, neq; in ulla disciplina usu à P. Ramo comproba- tum. Quare an id penitus voluerit dubitatur.

FINIS.

59 446

AB 59 446


ULB Halle 3
002 631 334



S. 6.

WPA






No 4

No 4





B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO
DE PHILOSOPHIA EIVSQVE INSTRUMENTIS, PROPOSITA
IN ILLUSTRI ACADEMIA
IVLIA

8

à
M. DVNCANO LIDDELIO Mathematicum Professore:

quam publicè defendet
CORNELIVS MARTINVS Antuerpius.

Erit disputatio die 24. Ianuarij.



HELMÆSTADIÏ.
Ex officina typographica Iacobi Lucij.
Anno cl. l. x. c. ii.

8

